

sompnium de rege ipso prevederat^{a)}), michi desideranti fideli narratione patefaceret.

IV, 7. Referebat . . .^{b)} igitur nobis, quia paulo ante obbitum Guyllelmi ducis, dum rex ipse positus esset in comitatus honore, quadam nocte dormiens videbat per^{c)} sompnium, quod dux prefatus Guyllelmus et Robertus princeps Capuanorum comesque Ranulphus atque omnes proceres Apulie, Calabrie, Capitinate aliarumque multarum provinciarum in Apuliam convenerunt contra Rogerium Siculorum^{d)} comitem pugnaturi. Quo audito Rogerius et ipse congregans magnam exercitus multitudinem mare pertransiit adversus Jordanum^{e)} ¹⁾ preliaturus. Itaque acie militum peditumque istinc et illinc nimis^{f)} terribiliter^{g)} ordinata ac bello utrinque disposito^{g')}, mox Rogerius comes perterritus fugam cum suis omnibus inivit^{h)}. Quem cum dux ceterique ⁱ⁾ omnes fugientem persequerentur, sese in mare evasurus proiecit. Cumque fere uno miliario ante eos per mare ipsum fugatus fuisset, tandem perstitit atque pre^{j)} nimia quam patiebatur siti ipsum mare continuo ebibit totum. Cum ergo bibito eo vires resumpsisset, mox versus super illos, qui eum insecuti^{k)} fuerant, audenter irruit statimque in fugam convertit. Cum ergo Guyllelmus dux effugatus nusquam comparuisset, Robertus princeps comesque Ranulphus cum ceteris universis ante eum in facies suas²⁾ pre timore ipsius ceciderunt. Comes autem Rogerius cum vidisset, quod omnes illos potuisset interficere, mox pietate detentus eis pepercit. Quo facto ecce subito duo viri vestibus induti albis accesserunt eosque de terra erigentes dixerunt: „Modo videre potestis, quia si comes voluisset Rogerius, omnes vos potuisset perimere. Sed quia vobis cunctis parcens vitam etiam concessit, accedite nunc simulque submissis genibus^{l)} adore eum. Denique sciatis omnes, quoniam divina dispositum est voluntate, ut quicumque ei resistere temptaverint, eius ense oportebit ut trucidentur^{m)}.“ Quo audito universi protinus accesserunt telisqueⁿ⁾ depositis illum pariter adorantes suum ei hominum subdiderunt. Verum Rogerius ita triumphator effectus tumulum deinde quandam statim conscendit^{o)} hastamque suam

^{a)} providerat Hs. ^{b)} zwei Referenzpunkte (statt eines Namen?) ^{c)} pro Hs. ^{d)} Seculorum Hs. ^{e)} Jordm̄ Hs. ^{f)} mimis Hs. ^{g)} terebiliter Hs. ^{g')} disposita Hs. ^{h)} innivit Hs. ⁱ⁾ ceterisque Hs. ^{j)} per Hs. ^{k)} insecuti Hs. ^{l)} so verbessert d. Hd. d. 16. Jh. aus diutibus Hs. ^{m)} so verbessert d. Hd. d. 16. Jh. aus trucidenter Hs. ⁿ⁾ tellisque Hs. ^{o)} conscindit Hs.

¹⁾ Graf Jordan von Ariano, vgl. Caspar S. 71 f.

²⁾ Vgl. Apoc. 5, 14; Tob. 12, 16; Matth. 17, 6.